

ck
134
R

II R
3406

AD
PANEGYRIN BONIS LITERIS
A IUVENIBVS ALIQVOT
IN ACROATERIO LVCCAVIENSI HABENDAM
III. EID. NOVEMBR. cl^o l^occ XXIV
MVSARVM PATRONOS DEMISSE INVITAT
THEOD. CRÜGER R.
ET
DE IVDICIIS VETERVM GERMANORVM SVB DIO
ANTE TEMPORA CAROLI M.
QVAEDAM DISSERIT



10
PANNONYA BOVIS LIBRIS
A IVENIBVS ALIOVOT
IN ARBOREBUS LUCASIS HABUNDAS
IN EIA FONTE DE DE WUN
LIVASIAE BIVONVS DEE DE WUNTE
THEOD. CRVGER. R.
DE WUNTE VETVRII GERMANOVIA SVB DIC
ANTE TIVOTIA CRVGER. R.
CRVGER. R.



ua quaeque gentes templa rostraque, aut pro iis clios montium lucosque habuerunt, ut locus esset sacris forensibusque rebus circumscriptus et proprius, ubi stato tempore conuenientes, et sacra obire et de publica re consultare consueuerint. Etenim antiquissimis temporibus, nec aedi sacrae, nec fano nec delubro conueniebat templi nomen, sed hoc, regio denotabatur sub nudo coelo et Ioue dio undique patens, quam augures certo carmine sacratam lituoque finitam notarint et circumscripserint, unde in omnes coeli partes, ad augurium captandum, liber esset quoquo uersus adspectus, inde *templum* quasi *tuempulum*, quorsum undique tueri posses, dictum, teste *SERVIO* ad *Aenead. I. 96*. Hinc antequam parietibus claudere cultum Numinis ceperunt mortales, eodem loco sub Ioue dio et sacra obire et ius dicere consueuerunt. Ipsum enim apricum coeli τὸν Δία et lucis coruscum iubar dixere κεραυνοβόλιον ἡμερῶν s. fulgur diuum, quin et Iouem Δία πῖσιον Dium fidium et Diespitrem, quasi Diei patrem, et flamines eius, Diales nuncuparunt, teste *GELLIO Noct. Attic. X. 15*.

Primos omnium Aegyptios, sacris, forensibusque obeundis negotiis templa et tribunalia separatim extruxisse, luculenter ex *HERODOTO* constat, qui βωμὸς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηὸς Θεῶσι ἀπονείμει πρῶτες Ἀιγυπτίως inquit in *Euterpe II. 14*. Id quod et *LV-*



CIANVS confirmat πρώτοι μὲν ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν Ἀιγύπτιοι λέγονται Θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱεῖα εἰσασθῆαι καὶ τεμένεα h. e. perhibentur primi homines quos scimus Aegyptii accepisse Deorum nouitiam, et statuisse templa ac lucos, in dialogo de Syria Dea p. 71. Et huic quidem mori primam occasionem dedisse tumulum cippumque Psammetichi Regis STRABO Auctor est *Geograph. lib. XVII.* Ex quo certe dudum ante tabernacula Mosis aut Israelitarum Synedria uiguisse templa rostraque apud Aegyptios erudite demonstrant HERMANN. WITSIVS in *Aegyptiacis lib. III. cap. X.* et Cel. SCHVRTZFLEISCHIVS in *Dissert. de templorum antiquitatibus §. 3.*

Horum instituta secutae Gentes reliquae tantum non omnes, delubra rostraque sua publicis aedificiis exornare ceperunt. Hinc Graecos a Deucalione templa, a Cecrope Areopagos struere edoctos tradit APOLLONIVS poeta quondam celebris *Argonauticorum lib. III.* Inde et Latium uetus fana sua uel a Iano uel a Fauno, regibus suis, struere didicit teste MACROBIO *lib. I. Saturnal. cap. IX.* OUIDIO *fastor. lib. I. v. 171. seqq.* Solos e gentibus Persas Germanosque prius, religionis colendae, et iuris dicendi rationem habuisse, sine templis aut curiis, memoriae proditum est. Et de Persis quidem res dubio plane caret. Hos enim sine imaginibus aut templis Deos ueneratos, et sacrificia in aperto celebrasse ex Dinone, scriptore peruetusto, referunt LACTANTIUS *lib. II. de Origine Erroris,* CLEMENS Alexandr. in admonitione ad gentes, et ORIGENES *lib. I. et VII. contra gentes,* add. DIODORVS SICVLVS, *lib. VI.* et STRABO *Geogr. lib. XV.* Diis nempe arbitrati sunt omnia debere esse patentia, et libera, quorum hic mundus omnis tem-

templum fit et domus, prout singulatim de Perfarum Magis refert CICERO *lib. II. de legibus.*

Quod ad Germanos attinet nostros, hos, si medium gentis spectes aeuum, placita et malla sua celebrasse sub dio, uel in montium cliuis, uel in patentibus campis, nemo negat. *Virum uero ante Caroli M. tempora uetustissima Germanorum gens hunc iam tenuerit morem, de eo inter eruditos nondum conuenit.* Vnde id breuibus nobis discutiendum fumsimus, ipsam ceteroquin formam ac morem priscorum in Germania iudiciorum aliis expendendam relinquentes, e quibus potiora iam discussit V. CL. HERM. CONRINGIVS in erudita dissert. *de iudiciis reipubl. Germanicae.*

Et sunt quidem, qui plane negant, ante Caroli M. tempora locum iudiciorum sub nudo coelo Germanos constituisse, sed eos templa idolis suis sacra tribunalia simul habuisse ad ius dicendum, huncque morem, a Romanis sibi uicinis recepisse. Ita omnino sentit praeter CHRISTOPH. LEHMANNVM in *chronico spirensi lib. II. cap. XXXI. p. 121.* PAVLVS HACHENBERGIVS idque operose propugnare fatagit in erudito opere *de Germania media dissert. III. §. XXVI. p. 67.* et, *quanti erat, inquit, ipsa iudicia in templis institui, ut teste ac arbitro Deo, sanctius ac religiosius iudices sententiam dicerent? neque enim alia de causa, Germani hunc morem acceperunt a Romanis, apud quos, auctore SVETONIO in Aug. c. XXXV. Augustus sanxit, ut priusquam consideret quisque, thure aut mero supplicaret, apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur. Quam consuetudinem postea abrogauit Carolus M. etc. l. c.*

Sed certe, ex fide dignis testibus coaeuis, patet, quod dudum ante Carolum M. Germani non in templis, sed in patentibus campis, sacrisque nemoribus,

bus, et sacra procurauerint, et, si res postulauerit, ibidem ius dixerint, de summa rerum, belli pacisque negotiis illuc deliberatum euntes, et curam Deorum publicaeque salutis iisdem nemorum claustris referuantes. Nam in his remotioribus tutioribusque numinum sedibus, ad quas aditus difficilior, et minor formidinis metus, Deos testes praesidesque rerum suarum inuocauerunt, ut fortunarent consilia, quae pro salute publica susciperentur, et suam patriaeque simul causam adiuuarent. Et certe iudicia prisca omnino in templis haberi non potuisse, uel exinde constat, quod antiquissimi Germaniae Ingaeuones, quoad tenebris paganissimi immerfi fuerunt nulla prorsus exstructa habuerint aut templa aut rostra, unico excepto Tanfanae in Marfis fano, a Caesare Germanico destructo, ubi tamen nulla iuris dicti fit mentio TACIT. *Annal. lib. I. c. 51.* Etenim non cohibuere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem eos assimilarunt, lucos ac nemora consecrantes, et Deorum nominibus appellarunt secretum illud, quod sola reuerentia conspicuum fuit. TACIT. *de M. G. c. IX.* Hincque generatim in conciliis suis sub dio Germani uniuersi elegerunt principes, illisque singulis centenos ex plebe comites dederunt, *iura NB. PER PAGOS VICOSQUE* (non ergo per templa) REDDENTES ut ipsa TACITI sunt uerba *de M. G. c. XII.* separatim uero, ut idem in singulis quoque obtinuisse gentibus Germaniae demonstramus, offerunt certe se *Semmones* Sueui cis-Balthiani, Saxonum Orientalium uicini, quos Naharualos alii dixere, hi lucos non templa habuere, magna animi reuerentia cultos, in quibus ius dicturi coierunt. Nam ita de illis TACITVS: *Stato tempore in syluam, auguriis patrum et prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi, legationibus coeunt.*
l. c.

l. c. de M. G. c. XXXIX. Frisi prisci, nec templum nec tribunal, sed Baduhennae lucum frequentarunt, de publicis negotiis consultaturi. TACIT. Annal. lib. IV. c. XXXVII. Batauorum proceres, Claudio Ciuili Duce, non in curiis aut templis, sed in sacro nemore congregati, iniurias et damna Romanorum armis sibi illata, questi sunt TACIT. Hist. lib. IV. c. XIV. et GALLOS quorum Germani fratres maiores dicti nostri, certo anni tempore in sinibus Carnutum consedisse, in loco (rectius alii legunt luco) consecrato, quorsum omnes undique, qui controuersas haberent, coeuntes, Druidum iudiciis decretisque paruissent, constat ex CAESARE de bello Gall. lib. VI. c. 13. Vbi notandum, quod luci quidem hi, sacris forensibusque rebus proprii, fuerint quernae frondis, ad ripas fluminis siti, et incaedui, ubi conlucare i. e. ramum excidere sine periculo non licebat, ut erudite ostendit IO. BRANTIVS in not. ad Caesar. l. c. Cel. SCHVRTZFLEISCHIVS diss. de templorum antiquitatibus §. III. BERNEGGERVS not. in Tac. quaest. polit. LXIV. CLUVERVS in Germania antiqua lib. I. c. XXVI. p. 22. REIMANNVS Hist. liter. Germ. p. II. p. 13. b. HECHTIVS Germ. Sacrae p. I. lib. I. c. VIII. IX. X. et nouissime Reu. Dn. CHRIST. ZICKERMANNVS, Mysta Sedinensis merentissimus, in Historischer Nachricht von der Religion der alten Pommern. cap. II. p. 16. seq.

Et insuper haecce sententia nostra haud parum contra Hachenbergium roboris obtinet, exemplo illarum gentium Germaniam inhabitantium, quae etiam si templa exstructa coluerint, non tamen in illis, sed in lucis nemoribusque ius dicere solitae sunt. Sic enim Rhedarios Slauicae quidem originis sed Vandalorum sedes tenentes, circa panim, Pomeraniae flumen, habuisse quidem quot regiones tot templa: et singula daemonum si-

mu-

mulacra testis est DITTMARVS Ep. Martisb. lib. VI. *Chronic.* apud LEIBNIT. *Tom. I. Scriptor. Brunsvic. p. 382.* at illi non in templis tamen conuenerunt ad ius dicendum, sed in syluis patentibus, praecipue in luco Prouen Idolo sacro, sito in Slauiā ulteriori, hodie Wagria dicta prope urbem Altenburg, idque nemo sanctimonium fuit uniuersae terrae sacris quercubus constans, quodque ambiit atrium et sepes accuratior, lignis constructa, duasque portas continens, nam se uidisse et intrasse illud testatur Bosouienſis presbyter HELMOLDVS, et, *illuc inquit secunda feria populus terrae cum flamine et regulo conuenire solebant*, PROPTER IUDICIA. in *Chronico Sclauorum lib. I. c. LXXXIII. p. 185.* quodque tempus statutum hisce iudiciis, *secundae feriae* de secunda septimanae cuiusque die explicat CLUVERVS *Germ. antiqu. lib. I. c. XXXIV. p. 278.*

Insuper perspicua quoque occurrunt uestigia iudiciorum sub dio habitorum, quondam in Germania magna, dudum ante tempora Caroli M. si gentes, quae in Septentriones uergunt, paulo curatius contemplantur, quaeque uel nomen Romanum latuit, nedum ad morem eorum tribunalia in templis statuere potuerunt. Ita *Suionum* gens, Germaniae quondam magnae nobilissima portio, concilium popolare commune *Warph* siue *Thine* patrio sermone dictum sub nudo caelo, ruri, in campis aut uallibus, habere solita est teste ADAMO BREMENSIS *de situ Septentrion. region. lib. IV. Hist. Eccles. cap. CCXXIX.* apud ERPOLD. LINDENBROGIUM T. *Script. Germ. p. 60.* et Suiones iudicia haec centenaria, uel ideo *Warph* h. e. circuitum uel conglomerationem populi, uernacula lingua dicere consueuerunt, quod promiscua plebis multitudo, patentibus campis, iudici circumfusa et in orbem conglomerata, aut

aut per uices facto circuitu, legis tenorem audire, aut
 tumultuariis suis suffragiis, ius ferendae sententiae ex-
 exercere potuerit, prout erudite obseruat Io. STIERN-
 HIOECK de *Iure uetusto Sueo-Gothico lib. I. c. 2.* Quin uel
 hodiernum in Ostrogothia, antiquissima duo superfunt
 uestigia iudiciorum sub dio habitorum, ueluti ingens
 saxum, in ualle patenti defixum, ad quod plebi conue-
 nienti ius dictum est, et abietis uetustissimae uestigia,
 hodie *Lionghal* dictae, quae ius quondam dicentibus
 patibuli instar ad manus fuerit, prout ex tabulariis ue-
 rustis Suecicis refert Io. LOCCENIVS *Antiquitat. Sueo-
 Gothicis cap. III. p. 40.* add. Io. SCHEFFERVS in *Vpsalia
 antiqua c. XVI. p. 230.* Ad Cimbroso prisco si nos conuer-
 tamus, eundem et hos iudiciorum sub dio tenuisse mo-
 rem, uel inde constat, quod adhuc hodie in agro
 Slesuicensi sub nudo coelo prope Wiburgum oppi-
 dum, locus *Urnehoeft* dictus conspicuus sit praetereun-
 tibus, et in Holsatiae agro locus *Bornhoeft*, ubi patenti-
 bus campis ius publice dictum, et obuium cuique tri-
 bunal erectum sit. Quae e paganismo orta iuris dicen-
 di consuetudo, post stabilita Christiana Sacra, diutissi-
 me mansit, donec a Friderico I. Daniae rege, Flens-
 burgum Kiloniumque tribunal translatum est, prouti
 e monumentis Cimbriae ineditis erudite obseruat
 TROGILLVS ARNKIEL *Cimbrischer Heyden Religion
 part. III. lib. II. §. VII. p. 285.*

Ex haecenus ergo dictis facile patescit, quomodo
 interpretanda sit celebris illa Caroli M. lex, quae in *ca-
 pitalibus regum Francorum lib. V. c. LX.* ita se habet. *Pla-
 cita secularia in ecclesiis uel atriis ecclesiarum, a comitibus ui-
 cariisque, usque modo multis in locis habita, ne ultra fiant,
 interdicendum est, cum auctoritate Dominica, quae expulsis de
 templo negotiatoribus adserit, domum Dei esse domum orationis.*

B

etc.

etc. Non, enim, illa lex Slaus, Saxonibus, Baioariis, aliisque Germaniae incolis subactis, lata esse uidetur, ut uolunt Scriptores supra laudati, sed ipsis Francis occidentalibus. Horum, enim, iam dudum ad sacra christiana conuerforum templa, ecclesiae nomine h. l. ueniunt, quod de gentilium, si uel tunc adfuissent, fanis dici iure nequit. Nedum gentilium delubra cum CHRIST. LEHMANNO l. c. basilicas olim crediderim dicta esse. Haec enim latinitate donata uox, si in scriptis paganorum occurrit, non fanum, sed prophanum aedificium notat, porticibus undique magnificis, ad commercia agenda exstructum, uid. CICERO *orat. in Verrem V. cap. 58.* ad ATTIC. *lib. II. epist. XIV.* et sequioris saltem aevi Christiani, aedibus sacris suis, non gentilium claustris, id nomen adscribere. uid. SVPITIVS SEVERVS *lib. II. hist. eccl. add. ONVPHRII PANVINII interpretat. uoc. ecclesiastic. uoc. basilica.*

Stat ergo sententia, morem habendi iudicia publica sub nudo coelo non demum a temporibus Caroli Imperat. M. sed inde ab incunabulis Germaniae, repetendum esse. Vindex enim illa libertatis suae sollicitate tenuit, ut undique patentibus locis, liberrimus cuiuis ad Ius poscendum, esset aditus, donec molliora tandem secula, intra curiarum domuumque parietes iustitiam claufere, et lictorum stipata turba fores obsepsere, ut ait HACHENBERGIVS l. c. Ita proinde et publica in comitiis, et priuata in oppidis seorsim et curiis, habita fuerunt sub dio iudicia, quorsum potissimum spectat nobilissimum iudiciorum genus, quod in campis Roncaliis, quos Padus flumen alluit, a temporibus Ottonum usque ad Carolum V. Imp. sub dio in agris placentinis, haberi consueuit, quodue, per omnia retro secula, intra Italiae fines, Germanorum
 Augu-

Augusti exercere soliti sunt, donec in electione Caroli V. Imp. a statuum Germaniae proceribus, cautum sit in ipsis electionis articulis, quos capitulationem aiunt, ne extra fines Germaniae, publica iudicia comitiaque sub dio, amplius haberentur, uideat. *capit. Caroli V. artic. XII.* quod singuli quoque sequentes Imperatores sacramento praestito stipulari debuere, conf. *Cap. Ferdinandi. I. artic. XI. Maximiliani II. artic. XII. Rudolphi II. artic. XI. Matthiae artic. XII. Ferdinand. II. artic. X. Ferdinandi III. artic. XIII. Leopoldi artic. XVII. Iosephi artic. XVI. Caroli VI. artic. XV.*

Et certe hanc ipsam Germaniae stabilitam libertatem uel in Academiis Protestantium hodiernum conspicuam esse ecquis non nouit? Fractis quippe seruitutis pontificiae compagibus, Musis statuitur in iisdem atrium libertatis, ita ut illas iure Roncalios dixeris campos, ad quos uidere est, undique magno nisu, innumera iuuenum praestantissimorum examina aduolare, et ad ueritates ibidem quasi ex tripode prolatas, libera mente addiscendas. Idem quoque iam e nostratibus, laudabili instituto in animum induxit, *Iuuenis doctrinae uirtutisque genere copiosissime exornatus*

CHRIST. GOTTLIEB GAERTNER, *Luccauensis*, qui iactis ultra decennium in hoc Lyceo cuiusuis literarum generis, solidis optimisque fundamentis Almam iam Leucoream, ueram totius religionis Euangelicae palaestram, uisere sibi proposuit. Hinc carmine sapphico, de *Academiis Druidum ueterum* quaedam differet, et iusto laudabilique more nobis publice ualedicet.

QK T A 3406

X 339261

☉ (12) ☉

Quem optimum, et nemini bono non probatum
ciuem, sicut e gremio nostro cum summo laudis prae-
conio, et salutis omnigenae uoto dimittimus, ita dis-
cessum felicem, et fausta perennia quaeuis eidem pu-
blice apprecaturi sunt

I. CAROLVS GVILIELM. HENNIG

Baruthens. Saxo oratione latina simul bonam consci-
entiam, optimum in rebus aduersis solatium, paucis
demonstraturus. Idem aget

II. SAMVEL BENIAMIN KNESCHKE

Vesfchou. Lusat. felicitatem Academicarum Protestan-
tium carmine heroico contemplans et preces pro
integro earundem statu fundens.

III. IO. GVSTAV. OBERKAMPF

Roetscha Saxo uoto ligato, idiomatis uernaculi, disce-
dentem prosequetur, et auditorio pro beneuola prae-
sentia debitas grates perfoluet.


Quos ut Musarum patroni cuiuslibet ordinis spectatis-
simi beneuole audiant, et praesentia gratiosa sua stato
tempore Lyceum exornent nostrum, demisse et
officiose rogantur.

P. P. LVCCAUIAE DOM. XXII. p. Trinit.

A. R. S. clb Idcc XXIV.

VITEMBERGAE

LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



B.I.G.

Farbkarte #13



II R
3406

AD
IN BONIS LITERIS
NIBVS ALIQVOT
O LVCCAVIENSI HABENDAM
OVEMBR. *cl* *lccc* XXIV
TRONOS DEMISSE INVITAT
D. CRÜGER R.
ET
RVM GERMANORVM SVB DIO
EMPORA CAROLI M.
VAEDAM DISSERIT

BIBLIOTHECA
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
MAGDEBURG